



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 18. Hildebrandus Legatus in Francia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

fuere, qui huic causæ adscriberent, quod hic Papa monachos, nam Hildebrandus monachus erat, aversatus fuerit. Ergo Romæ, cunctis ordinibus venerationem & lætitiā profitentibus excipitur, Papa salutatur, in possessionem Sacræ Sedis in Cœna Domini decima tertia Aprilis anno millesimo quinquagesimo quinto mittitur, & Victor II. nominatur. Sedit vero annis duobus & tribus mensibus, Ecclesia Eichstetensi sibi usque ad mortem reservata. Quidam Subdiaconus, ut Papam interimeret, toxicum calici immisit, quem cum post consecrationem Victor elevare non valeret, in terram prostratus cum populo Deum deprecatus est, ut sibi hujus rei causam aperiret. Illico veneficus a Dæmone corripitur, & Papa, cognita hominis nequitia, calicem unacum Sanguine Domini Nostri arcæ cujusdam Altaris includi jubet, apud Reliquias ad perpetuam rei memoriam asservandum. Tum iterum cum populo in terram demissus tamdiu oravit, usque dum Subdiaconus liberaretur. Lambertus, Scriptor gravis illius ætatis, istud prodigium literis mandavit.

Sæculum XI.
A.C. 1055.

Cont. Herm.

Lambert.
an. 1054.

§. XVIII.

Hildebrandus Legatus in Francia.

Cum Imperator eodem anno in Italiam venisset, Festis Paschæ Mantuæ & Pentecostæ

Cont. Herm.

Petr. Dam.

l. IV. ep. 12.

Sæculum XI. Pentecostes Florentiæ transactis, ibidem
A.C. 1055. Papa, præsentem Principe, magnum Concilium celebravit, in quo complures abusus sublatis, & inter alia Decretum de Bonis Ecclesiarum non alienandis renovatum. Inter hæc Victor Papa Hildebrandum Subdiaconum in Franciam mittit ad reprimendam Simoniam, quæ præcipue in Italia & Burgundia grassabatur. Ille Concilium Lugduni convocat, ubi prima die accusatur quidam Episcopus, quod Simoniacè in suam Ecclesiam intrasset, & quia hæc causa una die plene discuti non poterat, differtur in alteram. At illa nocte Episcopus accusatus rigorem Judicis sui, quem inflexibilem sciebat, reformidans, accusatores suos & testes data pecunia corripit. Tum ubi illuxit, Concilium intravit præfidenter querens, ubi accusatores sui essent. Tacentibus omnibus, Hildebrandus Legatus, ducto gravi suspirio ad Episcopum reum, *credisne*, inquit, *Spiritum Sanctum cum Patre & Filio ejusdem Substantiæ esse?* respondit ille: *credo*. Rursusque Hildebrandus: *ergo dic, Gloria Patri &c.* Episcopus coepit quidem orationem pronunciare, sed ter frustra conatus Spiritum Sanctum proferre non valuit. Tunc vero Legati pedibus advolutus, & crimen confessus ab Episcopatu deponitur, moxque totum *Gloria Patri* expedita voce

vit. Greg.
 VII. n. 57.
 tom. 9. Conc.
 p. 1080.

voce recitavit. Hanc rem testatam fa- Sæculum XI.
ciunt Calistus II. Papa, qui anno 1120. A.C. 1055.
S. Sedem tenuit, & S. Hugo Abbas Clu-
niacensis. Petrus Damiani autem id
ipsum ex ore Hildebrandi accepisse affir-
mat, dicitque, in illo Concilio Episcopos *Opus. XIX.*
sex ob varia crimina fuisse depositos. *c. 6.*

Eodem Hildebrando, & quodam Car-
dinali, nomine Gerardo, etiam S. Sedis Le-
gato, hoc ipso anno Concilium Turone
celebrantibus, Berengario & Lanfranco
præsentibus, cum Berengario potestas *tom. 9. Cons.*
fieret opinionem suam propugnandi, at- *p. 1081.*
que animus deficeret, publice Fidem *Mabil. præf.*
communem Ecclesiæ confessus est, jura- *Sæc. 6. n. 23.*
mento affirmans, se deinceps hanc veri-
tatem crediturum esse, & Legati, post-
quam formulæ Confessionis sua manu
subscripsisset, ad Communionem admisc-
runt, quem sincere conversum arbitra-
bantur.

§. XIX.

*Maurilius Archiepiscopus Rotoma-
gensis.*

Eodem anno celebratum est Concilium
Rotomagi, ubi Maurilio Archiepisco-
po præidente de Continentia Clerico-
rum & de servandis Canonibus actum.
In illo Concilio creditur Confessio Fidei
concinnata, in qua affirmatur, quod pa-
nis super Altare positus nihil sit nisi pa-
nis.